

per ipsum, notando gradum, quem in limbo tangit: ab illo gradu si numeres semper pro singulis annis 87. grad. & 20. min. habebis reuolutionem aut anni, aut natiuitatis, secundum quam facile poteris erigere figuram cœlestem modo superius tradito. Et hæc de i. parte Astrolabij.

DE VSV ASTROLABII GEOMETRICO
CAPITVLVM III.

Expeditis ijs quæ ad usum Astronomicum spectare videbantur, breuiter etiam ea, quæ usum Geometricum huius instrumenti concernunt, sunt explicanda. Absoluitur autem hic usus utriusq; scalæ altimetræ in dorso astrolabij descriptæ beneficio; per has enim scalas cuiusuis lineæ rectæ longitudinē, siue in altum, siue in profundum, siue in transuersum protensæ inuestigamus. Describuntur ergo in dorso Astrolabij sub diametente, quæ horizonti proportionē confertur, duæ scalæ, quæ umbræ dicuntur: una quidem lineæ mediæ noctis æquidistans, quæ umbra versa dicitur. Altera verò, quæ ab hac ad lineam mediæ noctis perpendiculariter incidit, & umbra recta nuncupatur. Quamuis Georgius Valla, nunc hanc, nunc illam appellet rectam aut versam. Atq; harum scalarum utraque dividitur in 12. partes æquales, quæ puncta, seu gradus, seu digiti appellantur. Umbra recta repræsentat umbram rei alicuius quæ perpendiculariter super horizontale aliquod planum cadit: umbra autem versa, refert umbram rei, quæ superficiēi horizontis æquidistat: Linea vero mediæ noctis repræsentat radium visualem, qui ab oculo usq; ad cacumen rei mensurandæ pertingit, seu radij solaris, rei mensurandæ verticem tangentis. Linea denique mediæ noctis versus centrum Astrolabij protensa, rei mensurandæ proportionē confertur. Hinc quælibet altitudo indagari poterit per umbram, seu radios solis, vel per lineam visu-

am visu-